Sermo de beata dei genitrice maria
Moralitates super Regum et paralippomenon
Omelie Origenis super Evangelia maria stabat

Dominica quinta collecta.

[F]amiliam quesumus domine continua pietate custodi: ut que in sola spe gratie celestis innititur: tua semper protectione muniatur. Per dominum.

[F]ratres. [I]nduite uos sicut electi dei sancti et dilecti uiscera misericordie: benignitatem. humilitatem. modestiam. patientiam. supportantes inuicem et donantes uobismet ipsis si quis aduersus aliquem habet querelam. Sicut dominus donauit uobis: ita et uos. Super omnia autem hec caritatem habentes: quod est uinculum perfectionis. Et pax christi exultet in cordibus uestris: in qua et uocati estis in uno corpore. et grati estote. Verbum christi habitet in uobis habundanter: in omni sapientia docentes. et commonentes uosmetipsos. psalmis ymnis et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus uestris deo. In christo ihesu domino nostro. Secundum Matheum.

In illo tempore: [d]ixit ihesus [turb]is. [dixit ihesus] discipulis suis parabolam hanc. [S]imile est enim regnum celorum homini: qui seminauit bonum semen in agro [suo]. [Cum autem dormirent homines]: uenit inimicus eius et superseminauit zyzania in medio [tritici]

et abiit. Cum autem creuisset herba et fructum fecisset: tunc apparuerunt et zyzania. Accedentes autem serui patrisfamilias: dixerunt ei. Domine: nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zyzania? Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei. Vis imus et colligimus ea? Et ait illis. Non: Ne forte colligentes zyzania: eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere: usque ad messem. Et in tempore messis: dicam messoribus. Colligite primum zyzania: et alligate fasciculos ad comburendum. Triticum autem congregate in horreum meum. Secreta. [H]ostias tibi domine placationis offerimus: ut et delicta nostra miseratus absoluas. et nutantia corda tu dirigas. [Q]uesumus omnipotens deus. Postcommunio. [Q]uesumus omnipotens deus. ut illius salutaris capiamus effectum. cuius per hec misteria pignus accepimus. Per. Dominica .v. quam totum in precedenti do[minica]. Collecta. Familiam tuam quesumus domine con[tinua]. Epistola. Induite uos. Evangelium. [...] ihesus discipulis suis [...] hanc. Simile [...] [Secreta.] [...] et nos oblatio deus munde[...] renouet. et gubernet et protegat. Postcommunio. [...] celestibus munere pasti d[...]